Dissertatio medica inauguralis de morbis gravidarum ... / Eruditorum examini submittit Gulielmus Edwards.

Contributors

Edwards, William. Keessel, D. G. van der 1738-1816. Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Petrum vander Eyk, et Danielem Vygh, 1773.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/daq9dn3w

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MORBIS GRAVIDARUM,

Q. U A M

ANNUENTE SUMMO NUMINE, Ex Austoritate Magnifici Rectoris,

DION. GODEFR. VAN DER KEESSEL,
J. U. D. ET PROFESSORIS JUR. CIV. ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis Medicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis, rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

GULIELMUS EDWARDS, HIBERNUS.

Societat. Med. & Med - Phys. Edinens. Sodal.

Ad Diem XXII. Junii MDCCLXXIII. H. L. Q. S.

Rite maturos aperire partus Lenis Ilithuia, tuere matres:

Hor.

LUGDUNI BATAVORUM,

PETRUM VANDER EYK,

Apud

DANIELEM VYGH.

Postquam gravida est sæmina, plurimis assicitur malis ex sola graviditate oriundis.

Boerhaav. Aph. 1293.

VIRO

PRÆSTANTISSIMO

SHAPLAND CAREW,

ARMIGERO DE CASTLE-BORO IN AGRO WEXFORDIÆ,

UNI EX ILLUSTRI SENATORUM ORDINE,

LIBERTATIS HIBERNICÆ GENUINÆ VINDICI ACERRIMO,

CAUSIDICO INCORRUPTISSIMO, ETC.

OB BENEFICIA PLURIMA IN SESE SUOSQUE, PER LONGUM ANNORUM DECURSUM, ASSIDUE ET GENEROSE COLLATA;

NEC NON

AMICO SUO ORNATISSIMO,

COLINO DRUMMOND, M. D.

COLLEG. REG. MED. EDIN. PRÆSIDI,

MEDICINAM APUD BRISTOLIENSES FELICITER EXERCENTI,

SIBI, PROPTER MULTAS EJUS VIRTUTES MO-RUMQUE ELEGANTIAM, CARISSIMO;

H. D. GAUBIO, M. D.

ILLI SUMMO ARTIS MEDICÆ DECORI,

PATHOLOGIÆ ET CHEMIÆ,

IN ACADEMIA LUGD. BAT., PROFESSORI

OR DINARIO,

SERENISSIMI PRINCIPIS ARAUSIO-NIS ET NASSOVIÆ ARCHIATRO, ETC. ETC. ETC.

OBSERVANTIÆ ERGO;

MITTED SHO DRIVETTESTATO,

Hancce dissertationem inauguralem sacram esse voluit,

Aucros.



PROOEMIUM.

uicunque fabricam corporis humani stupendam; partes ejusdem numerosas & inter sese longe diversas; Usus, quibus harum singulæ destinentur, non minus diversos; morbosque, quibus tam ex causis externis quam internis, non tantum ab hora natali, sed etiam ab usque prima in utero origine, pateant, multiplices, attentus contemplatur; haudquaquam mortales adeo caducos esse & evanidos, fed contra tamdiu valere, & laborantes ad fanitatem tam facile reduci, secum mirabitur. Vis autem & fævities morborum in fæminas magis invasit; utpote quibus ad morbos omnes, quibus mares objecti fint, complures accesserint ex utero, structura illa miranda, pendentes. Mulieres, quantum temperamentum corporeum spectat, a viris magnopere differunt, quippe quibus fibræ magis laxæ, systema magis irritabile, mobile, delicatum sit ;unde fieri nequeat, quin cohors morborum generis nervosi major illas infestet. Quin etiam vita sedenta-

A 3

ria

PROOEMIUM.

ria plethoræ & morbis ex illa oriundis admodum obnoxias efficit. Menses quoque, ex quibus rite provenientibus fanitas tantopere pendeat, supressione, fluxu parco immodicove peccant, & mala, quorum numerum inire non facile possis, movere confuerunt. Quot præterea noxas infert graviditas? Quot puerperium? Quot infantium lactatio? Quot menses ad extremum ex toto deficientes? Cum igitur sexus fæmineus morbis tot tantisque pateat, nonne medicum unumquemque, qui in intima medicinæ penetrare velit, eosdem penitus & rite perspectos habere decet, quo parti generis humani tam utili tamque amabili laboranti suppetias quam promptissime ferre queat?

Hæc & talia nobiscum fæpe revolventes hasce studiorum nostrorum primitias illis dicare lubentes &

from Sc ferrites merborum in formings magis in

age objects that, countlains accordance ex bress

tuin temperimentum corporcum spectat, a vir

the living and policies and the property of th

design nequest, quan cohors morborum genera me-

wolf major illes infeltet. Onin erium vid igrand

the Allen the House the same to the same t

The state of the s

læti decrevimus. Quales sint, lector judicet.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

DE

MORBIS GRAVIDARUM.

GRAVIDITATIS INDICIA.



um plurimum intersit graviditatem ab omnibus aliis speciem ejus utcunque obscuram & impersectam præ sese ferentibus plane certoque dignosci; rationem symptomatum, quæ eam designant,

breviusculam reddere prius necessarium erit, quam morbos uterum gerentium proprios verbis depingere ag-

grediamur.

Mulier cito, post conceptum factum, nausea vomituque, quibus antea non assueverat, mane & post cibum potissimum, infestatur. Appetitus illi plerumque languescit aut vitiatur; cibus enim, prius palato gratissimus, nunc nauseam movet. Quinetiam gravida sæpius eorum, quæ olim sit aversata, mense secundo præsertim elapso, desiderio flagrat. Modo catamenia, plerumque absque ulla alia causa conspicua, cessant; modo, prima vice, solito copiosiora, modo terve quaterve parciora, & reditu suo incerta, proveniunt. Circa mensem quartum abdomen intumescit, & paulatim hoc modo grandescit. Quarto mense aut circiter ineunte, fundus uteri ad oram offis pubis superiorem; quinto, ad spatium, quod marginem altiorem offis pubis inter & umbilicum intercedit, medium; septimo, ad umbilicum; octavo, ad partem illam, quæ ab umbilico scrobiculoque cordis ex æquo distat; & denique nono, ad scrobiculum cordis usque, ascendit: sin vero fœtus duos pluresve uterus gerit, hic ascensus magis acceleratur. Mammæ turgescunt, aliquantulum duræ & dolentes, & nonnunquam, præfertim in iis, quæ prius gravidæ non fuerint, circulus, areola denominatus, qui papillas cingit, subfuscus evadit, & liquor ab uberibus, colore ferosus, si premas, destillat.

Denique motus fœtus, sub mensem quartum quintumve, plerumque percipiendus. Hæc & talia signa, saltem eorum complura simul occurentia, graviditatem subesse demonstrant; singula vero, cum ab aliis causis proficisci queant, mulierem utero conceptum habere non satis evincunt. Cæterum si symptomata mulieris statum non rite indicare videantur, & cundem exploratum habere summi momenti sit; ad tactum, qui multum nobis auxilii feret, decurramus

opor-

oportet; uterus enim gravidarum digiti apice levatus gravior, cervix ejusdem, post quintum sextumve mensem potissimum multo brevior, os internum mollius magisque dilatatum, quam ante conceptionem, esse reperietur. Os tincæ, contra, nondum sacto conceptu, ex toto propemodum occlusum digito tangentis non parum resistere consuevit.

Cum morbi nonnulli sint, qui graviditatem magnopere dubiam reddunt, & a quibus eandem, nisi curam summam adhibueris, secernere nequeas, historiam illorum breviusculam tradendam esse putavimus.

- 1. Menstrua suppressa sæpius invadunt, & signis graviditatis plerisque stipantur: Cæterum symptomata amenorrhagiam concomitantia, pro morbi progressu, augescunt; contra graviditatis indicia, quo
 propius ad partum mulier accedit, eo magis magisque mitescunt. Tactus præterea, sub quartum quintumve mensem, rem extra omnem dubitationis aleam
 fere semper constituit.
- 2. Ascitis. Hoc in Morbo catamenia more solito sæpe proveniunt, vultus pallescit, ægrotans emarcescit, magna sitis infestat, &, Morbo aliquantum provecto, sluctuatio humoris se manisestat. Quinetiam Ascites a graviditate, tumoris sigura, clare distinguitur; hic enim tumor est durus, limitibus angustioribus circumscriptus, & ex parte anteriore magis acuminatus; illic contra, venter mollis, tumorque æqualis. Tactum etiam, hoc in exemplo, in nostrum auxilium arcessere possumus; nam uterus gravidæ pondere

dere suo digito resistit, hydropicæ levis est, nec molem naturalem excedit.

3. SCHIRRI ETC. Omnes hoc genus affectus, symptomatis suis irregularibus, a graviditate quam op-

time distingui possunt.

4. HYDROPS uteri vel ovariorum. Hunc a graviditate facillime dignosces, cum nulla signa gravidis propria, præter menstrua suppressa, sese prodant, cum tumor sit magis æqualis, habitusque ægrotæ corpo-

reus ad hydropem semper aperte propendeat.

Graviditas autem aliquibus ex hisce characteribus, quorum meminerimus, ab omnibus vitiis, quo formam ejus induere soleant, sere semper idque satis aperte; dignoscetur; attamen scrupulus & dubitatio nonnunquam nobis injici possunt. Quod si siat profertim si vita vel sama mulieris in periculo versetur, sententia nostra in medium quam caute & leniter proferenda.

Hxc de graviditate a morbis eam referentibus secernenda dixisse sufficiat.

Ad partem opusculi nostri principem, viz. ad morbos graviditati proprios dicendos, jam venimus: Hi vero in duas classes distinguendi.

I. In eos, qui, intra spatium quatuor mensium ab ineunte graviditate, invadunt; quales sunt,

A. Nausea & vomitus.

B. Malacia.

C. Mammæ dolentes ac intumescentes.

D. Artuum contractiones spasmodicæ.

- E. Animi deliquium & vertigo.
- F. Urina difficile reddita, suppressa, vel male retenta.
- II. In cos, qui per menses quinque partum antecedentes, infestant; quales sunt,
- A. Alvus dura.
- B. Fluxus hæmorrhoidalis.
- C. Dolores Ventris & lumborum.
- D. Abdominis spasmi.
- E. Crurum, femorum & labiorum pudendi tumores hydropici.
- F. Vomitus, spiritus difficilis, & tussis.
- G. Fluxus sanguinis ex utero immodicus, seu hæmorrhagia uterina.
 - H. Convulsiones.

Quanquam autem morbos mulierum gravidarum hunc in modum diviserimus; eum tamen, morbis utriusque classis inter sese sæpe commistis, vitiis suis, iisque non leviusculis, haudquaquam vacare satemur; cum vero alicui morbos a se invicem secernendi rationi, ordinis & perspicuitatis causa, insistere necessarium sit, hæc erroribus, uti speramus, æque paucis, ac quælibet alia, patebit.

I. Exequends sunt morbi, qui, intra spatium quatuor mensium ab ineunte graviditate, invadunt.

A. NAUSEAET VOMITUS.

Hi affectus plerasque gravidarum magis aut minus, præsertim horis matutinis, infestant. Post conceptum

fæpius accedunt, ad exitum mensis quarti, vel aliquantulo diutius, manentes; cæterum sub hoc tempus plerumque mitescunt aut ex toto cessant, & ægrotæ appetitus solitus colorque naturalis, antea multum immi nuti, redeunt. In quibusdam temperamentis parum aut ne minime quidem levati, ad extremum graviditatis usque, durant, &, quo tempore menstrua provenire solita sunt, eo violentiam suam magis exercent. Contra, mulieres nonnullæ, quas aliis temporibus magnopere torqueant, uterum gerentes illis non raro ex toto carent.

CAUSÆ. Nausea & vomitus ab una alterave ex hisce causis originem sibi deducunt.

- 1. Ab illo systematis nervosi consensu, qui utero cum ventriculo tam manisestus intercedit. Hic, præfertim inter initium graviditatis, pro causa maxime communi habendus est.
- 2. A plethora. Nauseam & vomitum ad hanc causam aliquando, sed haudquaquam tam sæpe ac quibusdam Auctoribus placuit, referenda esse censemus.
- 3. Ab acore & sordibus, primis in viis, invalescentibus. Hæc, sinem graviditatis versus, ad nauseam vomitumve movendum nonnihil conferre possunt.

RATIO MEDENDI Ubi vomitus inrer initium levior est, medicamenta haud opus sunt; violentior autem, quoniam partum elidere potest, omni modo levandus. In hoc autem propositum via curandi sequens conveniet.

1. Sensilitatem systematis imminuere.

- 2. Plethoram tollere & primas vias contentis suis exonerare.
 - 1. Sensilitatem &c.

Huic consilio respondent, refrigerantia, sedantia & antispasmodica.

- a. Refrigerantia. Haustus salini, effervescentia pergente, præsertim si singulis, Tincturæ cinnamomi guttas XX. vel XXX addideris, in vomitum plurimum possunt. Idem tinctura aperitiva Maubii præstare consuevit.
- b. Sedantia. Cum symptomata violentius invadunt, ad opium confugiamus oportet. In pilulas confectum optime datur, sub hac forma enim non tam facile, quam ex haustibus sumptum, rejicitur. Copia grani dimidii tertia quaque vel quarta hora, donec vomitus cessaverit, sumenda. Ventriculus nonnunquam opium, quocunque modo dare conatus fueris, omnino fastidit. Quod si eveniat, hyoscyamus, quem, opio inutili, interdum prodesse cognovi, adhibendus est. Omnibus autem aliis incassum tentatis, enema ex unciis infusi lini duabus vel tribus, guttisque laudani liquidi quinquaginta vel sexaginta, confectum votis sæpe respondet.
- c. Antispamodica. Epispastica, æther vel laudanum liquidum, regioni ventriculi admota, vomitum sæpe tollunt. Hæc vero lateri sinistro potius quam dextro admovebis, cum ventriculus ad illud magis vergat.
 - 2. Plethoram tollere &c.
- a. Venæ sectione. Hæc in omnibus plethoræ

exemplis, pernecessaria est. Si symptomata supra comprehensa non ex toto sugaverit, leniet tamen atque compescet; &, quæ pericula a vasis sanguinei ruptura oriri possent, ea prævertet. Sanguinis detractio, si usum ejus plethora requirat, sub quolibet graviditatis stadio, tuto concelebrari potest; licet in sententiam longe aliam Hippocrates, ille divinus, concesserit. Cæterum hoc haudquaquam mirandum est, cum, quo seculo ingenium ejus eluxerit, eo sanguinem ad animi deliquium usque emittere moris suerit; quod incommoda maxima secum haud dubie serret: Praxis vero hodierna cum tantam mutationem subierit, nihil est, quod illi jure objicere queas. Quanta sanguinis copia simul, & quoties, detrahenda sit, ex viribus prout Celsus etiam olim notavit, ægrotæ pendebit.

b. Emeticis. Vomitum moventia, si lenia sint, prægnantibus, quas nausea multum infestet, quam tutissime dari possunt; experientia enim quotidiana vomitum quibusdam, per totum graviditatis decursum, absque ulla noxa, perstare demonstrat.

c. Catharticis. Hæc, seu plethora, seu sordes primarum viarum adsint, necessaria siunt, & tuto adhibentur. Ex his tamen lenissima danda, qualia sunt, rhabarbarum, cremor tartari, sales medii &c.

d Absorbentibus. Cum acor invalescit, testacea illum quam optime subigunt; cæteris vero hujusce classis medicamentis magnesia alba, utpote quæ non solum humores acidos corrigat, sed alvum quoque solutam conservet, anteponenda.

e. Regimine. Ratio hujusce maxima semper ha-

benda. Sit cibus, in summa, levis & concoctu facilis; modice, sed crebro sumatur. Cæterum si symptomata plethoræ adsint, diæta tenuis & resrigerans, alvus soluta; exercitatio multa, nisi abortus sit pertimescendus; copia acidorum leniorum modica, prosiciunt. Potus ex aqua sontana gelida, si ventriculus ægrotæ serre possit, vel ex illa, cui pauxillum vini admistum sit, constabit. Sin indicia leucophlegmasiæ accedant, vel corpus multum debilitatum sit, diæta corroborans, cortex peruvianus, elixir vitrioli, aquæ Pyrmontanæ, balneum frigidum, insusum chamæmeli vel columbæ necessaria evadent.

B. MALACIA.

Hæc quolibet graviditatis tempore invadere potest, sed causa, unde profluat, tam in obscuro latet, ut nihil omnino de illa in medium proferre audeamus. Cum autem in monumentis medicinæ non pauca exempla reperiunda fint, quæ appetitus hujuscemodi muliebres expletas nihil noxæ secum attulisse osten. dant, cumque prægnantibus morem non gerere, cur partum perdant, in causa esse possit; quicquid igitur in votis erit, licet per se noxium esse videatur, id illis, misericordiæ & humanitatis ergo, concedes. Quod incommodum unicum, me judice, ab hisce desideriis oriri potest, est abortus; quoniam ne minima quidem ratio est, cur matrem, quod vulgus ignavum & stolidum sibi spersuaserit, ullos omnino in fœtum in utero effectus, per mentis suæ imagines, edere posse suspicemur; alioquin monstra multo plura

& multo majora, quam quæ ab opinionem tam ridiculam propugnantibus adhuc commemorata sint, videremus. Si animalia, vivipara & ovipara, regna, vegetabilia & mineralia oculis perlustrare velis; cosdem ibi naturæ lusus videbis. Quinetiam si maternas imaginationes aliquid sætui in utero vel addere vel adimere posse ponamus, quid obstat quo minus easdem, paulo magis intensas ulteriusve provectas, sætum quoque creare vel in nihilum, pro libitu, redigere posse opinemur: Quod per se adeo absurdum est, ut mentionem ejus tantum injecisse, quam ab omni parte ridiculum sit, satis aperte demonstret.

C. MAMMÆ DOLENTES ET INTUMESCENTES.

Mulieribus a catameniis defectis Mammæ ex sanguine ad sese, præter solitum, determinato brevi durescunt, turgescunt, dolent. Hæcce symptomata rarius aliquid noxæ secum ferunt, sed plerumque circa exitum mensis graviditatis quarti sponte sua decedunt.

CURATIO. Cum tensio dolorque magnopere urgent, catharticis & fotu leniri possunt; signa inslammationis si ulla adsint, venæ sectio concelebranda. Quod repellit, id non admovebitur; nec ægrota vestimentis arctioribus corpusve nimis constringentibus utetur.

D. ARTUUM CONTRACTIO-NES SPASMODICÆ.

Hæ gravidis multum molestiæ sæpe facessunt, & ab utero nervos ischiaticos premente ortum ducunt.

VIA CURANDI. Posituræ mutatio, frictio parti affectæ ex aceto frigido admota, membri in partem contrariam inclinatio, &, ubi symptomata graviora sunt, alvi ductio, missioque sanguinis modica, levamen adferre solent.

E. ANIMI DELIQUIUM ET VERTIGO.

Infractio demissioque animi uterum gerentes, ante omnes alias, invadunt, & syncope non raro finiuntur. Paroxysmum omnia circuitus debilis & languescentis signa præcedunt, qualia sunt, pallor, color amissus, tremores universi, pulsus arteriarum debilis & vix percipiendus, omnisque demum sensus & motus ex toto suppressus. Quo tempore mulier primum sætus in utero motum persentiscit, eo maxime hæc symptomata accedunt; licet sub quolibet alio graviditatis stadio, invadere queant.

CAUSÆ. 1. Quæcunque nauseam vomitumque cient, ca deliquium animi quoque vertiginemque movere consucrunt.

2. Hæc insuper symptomata ab uteri pressura in venas iliacas nimia, quæ obstat, quo minus sanguis venosus ad cor libere redeat, oriuntur.

3. Eadem inferunt vestes arctiores, præsertim in-

flexiles ex offibus cete conflatæ.

4. Quinetiam idem, terror subito incussus, animi perturbatio, horrendave visu oculis objecta, præstant.

Si symptomata a pathematis animi violentioribus oriantur, abortus plerumque sit; sin autem a reliquis causis supra positis, res aliter sese habet, nisi paroxysmi graviores sint, sæpius redeant, diutiusve maneant.

CURATIO. Cum hæc symptomata ab iisdem causis, a quibus nausea & vomitus, sæpe proficiscantur, remediis, quæ jam in auxilium horum prompta effe dixerimus, vel levanda, vel, si fieri potest, ex toto tollenda. Ægrota syncope laborans, ut in aliis animi deliquiis, ratione temperamenti corporei semper habita, restituetur. Si plethorica sit, odoribus validis & stimulatrice pollentibus, utpote qui molem sanguinis ad caput nimiam determinent, abstineamus necesse est: Si ad hysteriam proclivis sit, sanatio ejus, absque summa cautela, parum procedet; quoniam medicamenta contra morbum hystericum efficacia ad naturam menstrua moventium quam plurimum accedunt, & igitur portiunculis parvulis, si omnino adhibeantur, assumantur oportet. Quæ mala a pressura uterina profluunt, ea positura mutata tollit. Omnibus hoc genus vitiis cardiaca probe respondent; quorum omnium optimum est tinctura cinnamomi Cell. Swietenio laudibus meritissimis concelebrata.

F. URINA DIFFICILE REDDITA, SUPPRESSA, VEL MALE RETENTA.

Hæc circa tertium graviditatis mensem accedunt, & ad quintum usque infestant.

CAUSÆ. Duo mala priora uterus jam magnitudine adauctus cervicemque vesicæ plus satis constringens, posterius idem vesicam ipsam plus justo coarctans, progignunt. Quinetiam situm uteri depressiorem, calculosve vesicæ, pro causis agnoscunt. Quam primum ex pelvi uterus emergit, sponte sua fere semper evanescunt. Quoniam vero violenta noxæ plurimum inferre possunt, auxilium illorum a medicina sæ

pe petendum.

RATIO MEDENDI. Urinam difficilem & suppressam diureticis tollendam nonnulli suaserunt; sed multo plus medicamenta hujuscemodi, me judice, incommodi quam levaminis secum adferrent. Interdum prodest situs corporis immutatus, vel abdomen leniter, ope pressuræ, sursum levatum &c. Sin vero hæc auxilia in morbum parum poterint, ad opem catheteris decurramus, & eundem subinde adhibeamus, oportet; donec uterus super marginem pelvis superiorem ascenderit, unde vesicæ compressio in posterum prævenietur. Ægrota sæpius, hoc in exemplo, ut omnes violentiores, inter urinam reddendam, nisus sedulo caveat, ne exinde abortus sequatur, hortanda est. In urina parum retenta fasciæ abdomini sustentando accommodatæ, quies, positura corporis supina, proficiunt; quæ omnia pressuram uterinam ab ipsa vesica

desendunt. Imflammationi, si ab urina suppressa oriatur, sanguinis missione, sotu &c, ut in aliis idem genus exemplis, occurendum est. In summa, ægrotans omnia diuretica acria, stimulantia, & calorem nimium moventia caute resugiat, ac modice bibat.

Multa præterea mala hoc graviditatis stadium, qualia sunt dolores capitis, dentium &c, concomitantur; cum vero omnia ab eadem causa generali pendeant, & eodem modo curentur, silentio potius prætereunda, quam susus dicenda, putavimus.

II. Morbi, qui, per menses quinque partum antecedentes, infestant.

A. ALVUS DURA.

Hæc pregnantes fere semper exercet, periculi plurimum habet, & igitur, quantum sieri possit, vitanda.

CAUSÆ sunt autem uterus gravidus pressura majore colon & rectum intestinum afficiens, vita sedentaria, qua mulieres, præsertim loco honesto natæ, assuescant, vomitus.

Curatio. Hoc malo laborantibus, victus ratione, cibo ex oleribus constante, copia fructuum horæorum idonea; quæ si non sunt, aliquo laxante mitiore, velut electuario lenitivo, sulphure &c, optime succurritur. Sulphur autem, quippe quod slatum moveat, mensibus graviditatis supremis, non votis ex toto respondet. Consilio alvum laxandi magis accommodatur magnesia alba, cujus vim purgatricem, pormodatur magnesia alba, cujus vim purgatricem, por-

tiuncula tamarindorum vel prunorum, nocte superiore, data, intendere possumus. Omnia purgantia fortiora, quæ drastica audiunt, qualia sunt aloe &c. ex toto repudianda. Sin alvus, per aliquot dies, nihil reddiderit, & fæces induruerint; enemata ad stercus emolliendum forasque eliminandum adhibenda sunt: Ubi vero res non ita sese habet, plurimum molestiæ facessunt, & mulieres paucissimæ ea totics in alvum infundi paterentur, quoties huic symptomati obviam ire necessarium foret. In alvum pertinaciter adstrictam nullum medicamentum, quod mihi adhuc innotuerit, æque potest, ac oleum ricini, quippe quod abunde purget, & simul leniter agat. Cum ventriculus oleum simplex raro ferre queat; in emulsionem palato gratissimam, ope mucilaginis gummi Arabici saccharique, quibus nonnihil aquæ cinnamomi spirituofæ adjectum sit, convertere licet.

B. FLUXUS HÆMORRHOIDALIS.

Hic morbus prægnantibus minime proprius est; cum vero mulieres tempore graviditatis, quam quolibet alio, magis infestet, haudquaquam prorsus silentio prætereundum esse duxi. Quatenus a graviditate moveatur pendeatve, considerabimus.

Hæmer hoides, pro sede sua, genera in duo, internum & externum dividuntur. Aliquando, nullo signo præeunte, invadunt; illas tamen eadem symptomata, quæ alias hæmorrhagias, sere præcedunt.

CAUS Æ. Hæ triplices sunt:

- 1. Quæcumque plethoram, ut victus lautior &c. faciunt.
- 2. Quæcumque sanguinem ad rectum, velut cathartica drastica, exercitatio immodica &c, determinant.
- 3. Quæcunque sanguinem a venis hæmorrhoidalibus internis, ut vesicæ calculi, sætus caput, & sæces induratæ, &c, redire vetant.

RATIO MEDENDI: Cum hic fluxus non tantum periculosus sit, sed multis prægnantium incommodis stipetur; necesse est ut ei, quantum sieri possit, occurratur. Huic autem proposito accommodata sunt consilia curandi sequentia:

- I. Plethoram præsentem tollere.
- II. Quicquid rectum irritat, sanguinemve illuc determinat, cavere.
- I. Ad prius consilium sanguinis missio, universa & topica, regimen antiphlogisticum &c, quam aptissime congruunt. Nihil amplius vero de hoc argumento hic loci adjiciemus; cum de eo, quam primum ad curationem profluviorum venerimus, pluribus necessario disserendum sit.
- II. Quod alteri consilio maxime respondet, est alvo astrictæ obviam ire; cujus faciendi ratio supra, me judice, satis suse proposita suit. Si sluxus immodicus sit, sistatur necesse est. Quæ autem hæmorrhagias alias tollunt, hic quoque proficiunt. Commoneo, ut omnes, quæ convalescere velint, in lectulis diu immotæ requiescant. Si dolor & instammatio multum urgeant, ad somenta, cataplasmata, & enemata emollientia consugiant. Laudanum liquidum

Sy-

Sydenhamii linimento hæmorrhoidali Pharmacop. Paup: Edin: admistum in dolorem quam maxime potest. Quæcunque adstringunt, iis, utpote quæ periculum inferant, caute abstineas; nisi partes cataplasmatis prius multum relaxatæ aliquid leniter astringens, velut sarinam triticeam torresactum vel amylum in pulverem redactum, desiderabunt. Cum hæmorrhoides a statu partium laxiore proficiscuntur, cel. Young tubercula quam primum præcidantur, hortatur; quoniam cicatrix parti obducta reditum eorum in posterum antevertere consuevit.

C. DOLORES VENTRIS ET LUMBORUM.

Hæc symptomata raro periculi multum habent; quoniam vero graviora abortum inferre possunt, primo quoque tempore semper levanda.

CAUS Æ. A pondere uteri & pressura, tensione ejusdem ligamentorum nimia, nisu quolibet majore ad-

hibito, vel injuriis externis, oriuntur.

Curatio. Ubi causæ illorum intus sitæ sunt, Quiete, decubitu supino, alvo soluta, fascis abdomini sustentando accommodatis, multum leniri, si non ex toto sugari, possunt. Si gravius urgeant, sanguinis missio & opiata ad ea tollenda necessaria siunt; cum vim externam pro causa agnoscunt, per emplastrum roborans lumbis admotum sæpe proficitur.

D. ABDOMINIS SPASMI.

Hi mensibus graviditatis supremis invadere consuc-

CAUSE. A mole fœtus adaucta, quæ partes continentes nimis distendat, ortum ducunt.

CURATIO. Quicquid abdominis repletionem imminuet, hic proderit; laxantia igitur leniora plane requiruntur. Levamen adferet abdominis ex oleo olivarum frictio, vel fotus emollientes.

E. CRURUM, FEMORUM, ET LABIORUM PUDENDI TUMORES HYDROPICI.

Pregnantes, mense sexto septimove elapso, hisce vitiis maxime patent.

CAUSÆ. Uterum gravidum venis iliacis pressuram majorem inferentem, vel atoniam pro causa agnoscunt. Periculi plurimum a causa posteriore ortum ducentia habent.

Curatio. Licet hæc symptomata, donec sætus in lucem susceptus suerit, ex toto sugari nequeant, levamen tamen plerumque recipiunt. Pressura venis iliacis positura supina minuitur. Et, si symptomata leniora sint, & crura sola laborent, sasciæ ex panno laneo sactæ, membris admotæ, curationem maturius absolvunt. Jidem crura a partibus inferioribus superiores versus, præsertim si venæ varicibus tumeant, involvantur oportet. Si morbus ad reliquas partes, hoc sub articulo comprehensas, sese disfundet, ad sanguinis de-

detractionem, si modo plethora requirat, confugiendum est.

Tumor aliquando tantus est, ut nulla ratione, nisi puncturis vel incisionibus, quæ tamen, summa cum cautela, in usum revocandæ, ne gangræna, quod interdum sit, partium moveatur, levari queat. His sactis, applicationes spirituosæ ad tonum partium restituendum adhibendæ sunt. Quæcunque in alvum duram possunt, ea hie quoque proficiunt.

F. VOMITUS, SPIRITUS DIFFICILIS, ET TUSSIS.

Periculum est, ne hæc symptomata, circa extremam graviditatem, accedant.

CAUSÆ. Vomitus ab utero mole jam adaucto ventriculumque premente; dyspnœa a diaphragmate pressuræ eidem subjecto, unde pulmones, inter spiritum inhalandum, satis expandi nequeant, oritur. Septum autem transversum, quo minus motum sibi proprium exerceat, impeditum, & obstructio sanguinis, in vasis pulmonum, exinde nascens, stimulum, qui tussim non raro moveat, inferunt. Hæc mala quoque ab aliis sontibus, ut vomitus a sordibus, tussis a frigore &c., ut aliis in exemplis sit, profluere possunt.

CURATIO. Quo hæcce symptomata, quantum sieri possit, leniantur, ægrotans cibum nimium slatumve moventem caveat, alvum solutam conservet, &, si plethorica sit, sanguinem modice detrahat. Sin hærationes curandi nihil proficient, opium, ut supra po-

fi-

fitum, dandum. Dyspnæa si admodum graviter urgeat, caput ægrotæ cubantis in positura ad erectam
quam proxime accedente, ut quæ hic semper longe sit
optima, habendum. Cum tussis a frigore oritur, ei
medicamentis sputum moventibus & diluentibus, ut in
aliis catarrhi exemplis, obviam itur.

G. FLUXUS SANGUINIS EX UTERO IMMO-DICUS, SEU HÆMORRHAGIA UTERINA.

HISTORIA MORBI. Quo hic morbus se manisestat, modus in aliis mulieribus alius est. Nunc subito, & absque ullis signis præeuntibus; nunc tarde, & cum symptomatis hæmorrhagiam fere præcedentibus, qualia sunt, lassitudo, pigror & quietis cupido, extremorum frigus, horrores tremoresque crebri, spinæ & lumborum dolores, ponderis in regione uteri sensus, faciei pallor, sitis, calor, & pulsus arteriarum celeritate adauctus, invadit. Hæc autem frequenter excipiunt, os uteri relaxatum, & sanguis ex codem prosusus, qui non raro sætus expulsione sinitur.

Cæterum, si mulieri menses graviditatis nondum expleti sint, nec dolores partui proprii accesserint, hæmorrhagia pergit, cui ægritudo, nausea, vomitus,
oculorum caligo, pulsus debilis, frequens & intermittens, syncope, sudores frigidi, convulsiones, & tandem, proh dolor! mors ipsa, succedunt. Quas corpori noxas prosluvia vel quælibet aliæ magnæ evacuationes inferunt, eæ sunt tremores, crurum manuumque
tumores, cachexia, hydrops, ventriculi & intestino-

rum vitia; quæ adeo cibum assimilari prohibent, ut corpus alimento necessario orbatum, & aliquo illorum morborum, qui hæmorrhagiam copiosam & laxitatem excipiunt, correptum labascat.

" Nunc neque jam color est, misto candore rubori,

" Nec vigor & vires, & quæ modo visa placebant.",
Ovid.

Hoc malum omne graviditatis stadium infestum habere potest; cæterum plerumque ante mensem quintum, &, quo tempore menses provenire soliti sint, eo magis quam quolibet alio, quod haud dubie potestati consuetudinis inveteratæ referendum, invadit.

Diagnosis. Menstrua sola, in quibus prægnantes, pro more solito, nonnunquam esse consuerunt, a profluviis difficulter distingues; illa vero ab his, quæ sequuntur, satis clare secernunt. Menses gravidarum circuitus soliti memores & quasi tenaces lenius fluunt, nullo dolore stipantur, causam nullam conspicuam agnoscunt, & absque medicinæ auxilio cessant, copia semper minores & magis puri. Contra, profluvia nec eundem ordinem servant, nec temporibus statis sese ostendunt, violenta prorumpunt, dein in tempus cessant, & rursus vi majore quam antea redeunt, & dolorem plerumque movent. Ex injuriis corporis illatis fæpius oriuntur, pluribus aut paucioribus symptomatum, quæ hæmorrhagiam præcedunt, infignita, semper magis, quam menses, copiosa, &, utpote quibus humores uterini sint admisti, minus pura. Mammæ insuper,

** OLU

ante turgidæ, repente flaccescunt; & mulieres sere omnes, tertio graviditatis mense elapso, menstruis deficiuntur. Denique cum menses prægnantium a vasis vaginæ, profluvia, contra, ab uteri ipsius, proficisci videantur; hinc quoque discrimen illorum deducere possumus. Si enim, digito in naturalia insinuato, os uteri firmiter sit occlusum & rigidum, sanguis a vagina; sin vero relaxatum & aliqua ex parte sit apertum, ab utero ipso, descendit.

Hæc autem menses a profluviis satis distinguunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

1. Plethora. Quibus habitus corporis plenior & sanguineus, ad hæmorrhagias proclivitas, victus lautior, exercitatio modica est, hæ morbo maxime patent.

2. Systematis universi laxitas & debilitas. Quæ constitutione corporea delicatulæ, tenellæ & irritabiles, quæ pathematis animi violentis, hysteriæ, aliisque morbis nervosis opportunæ sunt, profluviis quoque, ante alias, objiciuntur.

3. Uteri ipsius laxitas & debilitas. Quinetiam menstrua nimis copiose profusa, abortus crebrior, partus difficilis, sluor albus, causis prædisponentibus sunt accensenda.

CAUSÆ OCCASIONALES duas in classes dividi pos-

per megras, quam mentes, copiola de parpote

1	I.	P	rior	em	confti	tuu	int eæ, quæ simpliciter agunt.
1				í	1	1	In systema Universum.
1			A				Circuitum sanguineum Augendo. viz.
1		1		a		1	Cibus potusque stimulans.
1		1			aa	500	Cibus concoctu difficilis.
1		-			66		Liquores spirituosi & fermentati.
1		1	1	16			Nisus corporis violenti.
1		1		1	aa		Saltatio.
1		1			66		Curfus.
1			1		CC		Saltus.
1					da		Equitatio &c., præsertim per vias sale-
1			+	1	PILE	1	brofas.
1					ee.		Rifus.
1					ff.	1	Tuffis.
1							Vomitus.
1			1	1	gg bb.	13	Sternutatio.
-					ii.		
1		138			kk.		Singultus.
1					11.		Prolapsio.
1			1		"		Nisus, inter alvum evacuandam, vio-
	FR	0330		1	mm.	1	lenti.
		1	1	1	111111	1 .	Nimis ponderosa levata.
-	W.		120	c.	1	100	Quidam animi affectus.
1					bb.	1	Ira.
	10			1	00.		Lætitia subita vel effusior.
				d.		1	Omnes morbi acuti matrem invaden-
			1	1	PIRE	1.2	tes.
1				le.	L. ivi		Idiosyncrasia, quantum odores certos
				150	17 66		spectat.
				f.			Calor.
			B.	1	ada de		Evacuationes naturales supprimendo.
				la.			Graviditas, quæ progignit.
	1		1		aa.	-	Menses obstructos, unde oriuntur.
130	1					a.	Plethora.
	1					B	Hysteria & alia vitia nervosa.
		1		b.			Frigus, quod infert.
					a1.		Perspirationem oppilatam, unde fluunt.
						œ.	Plethora.
	1					β.	Morbi acuti.
	1		C.		10	Ъ.	Systema debilitando.
				a.			Quidam animi affectus.
		9		1 3 9	aa.	-	Metus.
				-	66.		Mæstitia.
	1				cc.		Malacia vel appetitus enormes.
100					dd.		Timor subito incussus.
	,	1		, 1	ua.		D 3 De
							10 3

1	1	1	1	1	ee.	1	Desperatio.
ı					ff.		Invidia.
B	V. I	IDE.	450		gg.		Anxietas.
ı	Table 1	1		b.	99.	11	Evacuationes nimiæ.
ı				0.	aa.	10.0	Dejectio alvi immodica.
ı		2 11	DYT!		66.		
ı					CONTRACT.	2	Fluxus urinæ justo major.
					cc.		Sudor digerens vel nimis copiosus.
				C		30	Theæ usus immodicus.
1		2.	Δ				In uterum ipsum & partes illi vicinas.
			A.				Partes certas irritando.
1	100	212		a.	2131		Quæ extra uterum effectus suos edunt.
1			The state of		aa.		Itchuriam inferentia.
1					66.		Calculi veficæ urinariæ.
1					cc.		Fæces induratæ.
ı					dd.		Hæmorrhoides.
۱					ee.		Tenesmus.
1	1				ff.		Vermes recti intestini.
ı				123			Contusiones.
-		17:11		027	bb.	73	Vulnera.
ı					1010.		
	4	37			ii.		Vestes corpus nimis constringentes.
ı	1				kk.		Pelvis angustior.
ı				b			Quæ intra uterum effectus suos produ-
							cunt.
					aa.	1	Schirri.
	100 mg		TENAN,	The sale	66.	1	Polypi.
ı					cc.	18	Inflammationes.
0	A LAND	100	100	- 633	dd.		Affectus spasmodici.
			B.				Uterum ipsum nimis distendendo &
						1	irritando.
		111	Mine!	2.	les er	1.0	Fœtus ipse, qui noxas inferre potest.
			1	-			Numero.
	111		1	Est	aa.	18	
				-	66.	1	Magnitudine.
		1	100	1	cc.	1	Morbis.
	1	1			dd.		Motu violentiore.
	1	1	100	-	ee.		Positura.
			1	ь.	ff.	1	Morte.
				D.		1	Placenta, quæ
		1		1	aa.	1	Situ.
		1	1	-	66.	1	Pondere.
	1	1	1	1	cc.	100	Mutando in Hydatides.
	1	1	1	c.		1	Funis umbilicalis, qui
	1	1	-	1	aa.	100	Brevitate nimia.
	1	137	1	12	66.	100 / 10	Contorfione fua.
		-	1	1 .8	cc.	-	Ruptura.
	1	1.	1	1	dd.	1	Nodis. Po-
	100	1		'	1 0000	1	1140015.

. Quæ

II. Posteriorem constituunt eæ, quæ non per se, sed aliis jundæ, agunt.

Medicamenta acria,
Cathartica.
Diuretica calesacientia.
Emmenagoga.
Emetica, quæ vires exerunt
Systema debilitando.
Userum & partes vicinas stimulando.
Userum evenereum.
Systema suniversum & uterum ipsum stimulando.
Systema suniversum & uterum ipsum stimulando.
Systema debilitando.
Systema debilitando.

PROGNOSIS. Inter periculosissimos vero gravidarum morbos habetur sluor uterini sanguinis, inquit,
idque jure, Boerhaavius celeberrimus; ut enim profluvia omnibus mulieribus multum, ita gravidis plurimum, nocent. Quo periculum a profluviis oriundum
expressius sit & illustrius; quinque consideranda viz,
tempus graviditatis, quo invadunt; impetus, quo prorumpunt; copia sanguinis esfusa; vires ægrotæ; violentia partus dolorum, qui adsunt, major minorve.
De singulis ordine suo agetur.

fluvia intra tres menses primos, quæve etiam intra quintum, invadunt, non tantum periculi, quantum ea, quæ serius prorumpunt, inserre consueverunt. Quinetiam profluvia, partu jam jam instante, periculi non multum habent; nisi, violentia externa admota, accesserint, pelvisve sit male formata. Quo proprius ad partum mulier accesserit, eo magis, si menses ex toto nondum expleti sint, profluvia metuenda.

Quæ igitur, a quinto mense ad medium usque nonum, occurrunt, periculi plurimum semper habent.

- 2. De impetu, quo prorumpunt. Hæmorrhagiæ uterinæ, pro copia sanguinis, tempore dato, effusi magis minusve sunt periculosæ: Mulieri, ex gr. plus noxæ inferet una sanguinis libra, spatio unius horæ, amissa, quam quatuor, diversis temporibus, intra spatium viginti quatuor, sensim & tardius effusæ. Hic enim, quod illic vix sieri posset, facultas ægrotam, quæ sanguinis jacturam quidem mirandam aliquando patietur, & nihilominus restituetur, per intervalla, resticiendi daretur. Quo celerior est sanguinis cursus, eo minus spatii auxilio adhibendo relinquatur, & plus periculi a morbo oriatur, necesse est.
- 3. De copia sanguinis effusi. Quo minor sanguinis, in hæmorrhagiis uterinis, jactura est, eo major
 cum matrem tum sœtum incolumen servandi spes
 nobis affulget. Sin vero profluvium violentum diutius persistet, sœtus, quo vita materna periculo eximi possit, manu educendus est.
- 4. De viribus ægrotæ. Si nec animus nec vires multum mulierem defecerint, & morbus Medicinæ parere cæperit spes eventus prosperi summa sovenda; contra, si ægra magis magisque debilis evadat, animumque despondeat, periculum illi magnum impendet.
- 5. De partus doloribus. Si dolores accedant, os uteri sit dilatatum, & omne partus expeditoris signum se manisestet, sausta præsagire licet. Contra, dolores si nulli debilesve tantum invadant, præsertim si

dolores, ante satis violenti, languescant, & profluvium nihilominus eodem impetu pergat, eventus in dubio & incerto versatur.

Hic operæ pretium foret notare mulieres jacturam sanguinis stupendam aliquando perferre, & nihilominus ad sanitatem insperatam perduci: Ægrota igitur, licet symptomata gravissima urgeant, a medico nunquam destituenda.

RATIO MEDENDI.

Consilia autem hæmorthagias uterinas tollendi sunt

	C	onl	ilia	au	item hæmorthagias uterinas tollendi lunt
	I.	Imp	oetu	m	sanguinis systematis universi & uteri ipsius mi-
	100	,	uere	2.0	Compescere.
		I.	1		Regimine antiphlogistico.
			A.		Diæta.
		1	B.	-	Laxantibus mitioribus.
			B. C. D.		Frigore modico.
		1	υ.		Corporis animique quiete.
-		3.			Sanguinis detractione.
		3.			Emeticis.
		4.	A		Sedantibus & refrigerantibus.
			B		Acidis.
			C.		Salibus mediis.
			A. B. C. D.		Balneo tepido.
1	23	_	D.		Anodynis.
	The second	5.			Epispasticis.
1					Cucurbitulis siccis & frictionibus.
1	II.	7.			Ligaturis.
1	11.	10	W.		Vasa uterina constringere.
1		I.	A		Astringentibus.
1	44.0		A.		Interne sumptis.
1		191	3	a. b.	Fosfilibus.
1			D		Vegetabilibus.
1			В.	10000	Externe admotis.
1	100		- 4	a.	Balneo frigido
1				Ь.	Liquotinas iti inginina
1			-	d.	Applicationibus frigidis.
-	The State of the S	4	1	u.	Pessariis &c.
	III.				Vires ægrotæ sustentare.
	IV.		4	1 19	Fætum extrahere.
1	311213	133	16	1133	E

I. IMPETUM SANGUINIS SYSTEMATIS UNI-VERSI ET UTERI IPSIUS MINUERE ET COMPESCERE.

I. REGIMINE ANTIPHLOGISTICO.

A. DIÆTA. Hæc ex oleribus constet, refrigeret, concoctionem facile subeat, modice nutriat. Nihil acre, calefaciens, stimulansve conveniet. Proficiunt. fructus horæi, ut qui refrigerent, & vi laxante polleant. Potus sit aqua frigida, succo limonum, aurantiorum, aceto, vel, qui, reliquis longe præstat, spiritu vitrioli, acidula reddita. Cibus sæpius, at modice simul, sumendus.

Sin vero ægrota habitu corporeo laxa, & hæmorrhagiæ violentæ diuturnitate multum debilitata sit; diæta paulo plus nutriens adhibenda.

B. LAXANTIBUS MITIORIBUS. Ad profluvia toblenda non parum confert alvus mollis & laxa. Igitur si fæces induratæ colon oppleant, necesse est, ut enematis emollientibus, quibus nonnihil salis medii sit adjectum, foras eliminentur, & alvus postea, ope tamarindorum, magnesiæ albæ, &c. soluta perpetuo servetur. Cæterum, quod Celsus de argumento non absilimi dixerit, memoria nunquam concidat;,, satius est

- , ejus rei causa cibos potionesque assumere, quæ si, mul & alant & ventrem molliant."
- C. FRIGORE MODICO. Calor omnibus in hæmorrhagiis, humores rarefaciendo, ægrotis noxam inferre
 consuevit; diligenter igitur & curiose vitandus. In
 nullo corporis humani affectu magis, quam in hoc, proficiet Celsi consilium viz., In conclavi quam maxi,, mo æger cubare debet, quo multum & purum aërem
 ;, trahere possit." Ægrota igitur in cubiculo spatioso
 & perstatum aërium liberum accipiente, præsertim
 æstate, habenda. Cubili duro potius quam molli utatur, stragulis levioribus operta. Si syncope invadat,
 fenestræ sunt recludendæ, quo aditus aëri frigido quam
 liberrimus concilietur.
- D. Corporis animique quiete. Quam primum ulla profluvii figna sese commonstrant, nenecesse est, ut gravida ad lectulum se recipiat, & supina jaceat; quod fluxum forsitan sanguinis ad uterum aliquantulum compescet. Omnis corporis motus & mentis perturbatio cavenda sunt, & ægrotans, cum hoc tempore plerumque sit admodum terresacta, in spem diligenter & sæpius erigenda. Caput & humeri cubantis, prout nonnulli commonuerunt, sublimiora, quam corpus reliquum, quo sanguis ad uterum tardius descendat, esse debent; at essectus posituræ hujuscemodi boni, me judice, non satis incommoda exinde oriunda pensarent.

2. SANGUINIS DETRACTIONE. Ad hanc medici E 2 ple-

plerumque, at multis in exemplis perperam, decurrunt. Nam in mulieribus debilibus & habitu corporeo laxis, præsertim si violenta longave hæmorrhagia vires illis convulsæ sint, præsidium est admodum dubium, forsitan periculosum. Proficit tantum in hæmorrhagia incipiente, & ubi, ob habitum ægrotantis plethoricum & robustum, causa est, cur, ne morbus perstet vel augeatur, metuamus, vel ubi plethora atoniam progenuit. Morbo sere venienti magis occurrit, quam illato medetur.

Quod quantitatem sanguinis detrahendam, & missionem ejusdem reiterandam, spectat; illud ex ægrotæ viribus pulsusque statu, hoc ab esfectibus, quos sanguinis emissio prior ediderit, pendebit. Copiam vero modicam simul detrahere præstat; quoniam facile venam, si opus suerit, rursus pertundere possumus.

- 3. EMETICIS. Hæc Robinsonius in hæmorrhagias uterinas non parum posse contendit; in sententiam vero contrariam non ire non possum, propterea quod vomitus mulieri prosluvio hujuscemodi laboranti periculum summum inferret. Tartarus emeticus ad nauseam tantum provocandam adhibitus, ad superficiem determinando, forsan prosiceret.
- 4. SEDANTIBUS ET REFRIGERANTIBUS. Hæc, hæmorrhagia violenta, ad irritabilitatem systematis & motum cordis arteriarumque adauctum imminuendum necessaria evadunt.
 - A. Acidis. Quæ a fossilium tribu petuntur, ea ca-

lorem corporeum imminuunt. Huic autem consilio acidum vitriolicum, ex aqua frigida sumptum, quam optime respondet.

B. SALIBUS MEDIIS. Hi pro refrigerantibus diu sunt habiti; cæterum, licet eos virtute hujuscemodi præditos esse concedas, quæ copia illorum ingeri possit, tantula est, ut parum auxilii ab illis sperare queas. Nitrum, quod causa refrigerandi ab omnibus fere medicis adhibitum sit, propter nauseam & vomitum, quæ sæpius moveat, liberaliter datum forsan noceret. hilominus vero, si hæmorrhagia febre stipetur, aliquantulum forsitan, corpore refrigerando, proficiet. Sales medios præcipue laxantium, quæ aliis in hæmorrhagiis prosunt, partes agere verisimillimum est; at, exemplo in præsenti, summa cum cautela & talibus portiunculis solum, quales alvum modice solutam conservent, sunt assumendi. Tussis si adsit, nec acida nec neutralia conveniunt, utpote quæ ad illam exasperandam plurimum conferant; quod in casu hujuscemodi periculo magno ægrotam objectaret.

C. Balneo tepido. Hoc summis laudibus concelebratum suit. Manus aqua vinoque calidis laventur
suadet Hossmanus. Quoniam autem calor corporibus
summis admotus molem humorum adauget & circuitus
sanguinei celeritatem intendit, usum hujusce remedii
non parum periculosum sore censerem. Necesse est insuper, ut quantitas aquæ, inter lavandum, per lymphatica in corporis interiora devecta, copia humorum
augenda, noceat. Balneum vero tepidum, quod ex-

perimenta demonstrarunt, inhystericis, ubi morbus a terrore subito incusso exortus est, prodesse consuevit.

D. ANODYNIS. Effectus horum sedantes tam plane omnibus innotuerunt, ut fusius de his dicere supervacaneum foret. Remedia sunt præcipua, in quibus aliquid tuto reponere queas; nam si non morbum ex toto tollunt, spatium tamen ad alia præsidia decurrendi tibi conciliant. Opium convenit, quandocunque hæmorrhagia violenta est, & dolore stipatur; cæterum, ubi profluvium modicum & absque doloribus est, nocet magis, quam prodest; quoniam alvi duritiam diathesinque phlogisticam, quæ semper in casibus hujuscemodi cavenda, progenerare consuevit. Quo salutares effectus edat, necesse est ut dosi largiore detur; sic enim non tantum ægrotæ somnum conciliat, sed anxietatem animi & tristitiam tollit; quo nihil plus ad curationem feliciter absolvendam conferre possit. Quinetiam L. L., ad guttas quinquaginta vel sexaginta usque, enemati admistum in alvum tuto & commode immittitur.

Hyosciamus contra alias hæmorrhagias a Storke efficax esse narratur; cumque experientia eundem potestate anodyna & laxante præditum esse docuerit, in mala hujuscemodi, ubi alvus astricta curiose vitanda, multum possit oportet. Si nimis purgat, opium cum illo consociandum.

ous allii in hæmorrhagiis edant, si illa judicares; commodi multum ab illis sperares. Vi relaxante & antispasmodica pollent; & igitur auxilii plurimum, in

hisce exemplis, ubi hæmorrhagia a diathesi phlogistica pendet, polliceri videntur. Ob stranguriam vero, quam facile moveant, hic omittenda sunt.

6. CUCURBITULIS SICCIS ET FRICTIONIBUS.

His, me judice, ob stimulum, quem inferant,

abstinere debemus.

7. LIGATURIS. Hæ venis, consilio, reditum sanguinis ad cor tardiorem reddendi, injectæ multum auxilii, si naturam illarum leviter tantum intuearis, promittere videntur; aft usus earum admodum incertus est, licet enim efficiant, ut copia sanguinis minor ad cor revehatur, in partibus tamen venarum infra ligaturam, & igitur in arteriis, a quibus eædem oriantur, sanguis accumuletur necesse est; hinc fieri nequit, quin sanguis aortæ descendentis, cui in semoris arteriis nunc obsistatur, ad uterum copia majore determinetur. Sin vero omnino adhibeantur; in spatium breviusculum tantum venis injiciendæ, & protinus, accumulatione in arteriis incipiente, resolvendæ. Commodum denique a ligaturis sperandum nec dissicultatem eas ita admovendi, ut arteriæ nulli compressioni subjiciantur, nec periculum astimulo, quem inferant, oriundum, satis compensat.

II. VASA UTERINA CON-STRINGERE.

- I. ASTRINGENTIBUS. Cum dubitatio de modo, quo agant, non levis oriri possit; diversas auctorum, super hoc argumento, sententias breviter percurrere haud alienum esse videtur.
- 1. Quidam astringentia per vasa lactea absorberi & ad partem affectam protinus deferri contendunt. Hæc autem opinio, ob multas causas, quæ facile commemorari possent, est repudianda.
- 2. Alii conjiciunt actionem corum primis viis contineri & inde cum reliquo, per nervos, systemate communicari.
- 3. Alii denique omnia hoc genus medicamenta vi sedante pollere, & ab hac actionem illorum ex toto pendere, sibi persuasum habent.

Si ratione prima alterave vires suas exerere ponas, ad hæmorrhagias coërcendas, cum copia illorum idonea, nisi noxa systemati reliquo evidenter illata, ingeri nequeat, conferre possunt; si tertia, usum illorum ex toto supervacaneum reddet opium, cui potestas sedans plane sit insita, ut experimenta Alstonii & Whyttii clare demonstrant. Parum igitur prosunt; licet aliquantulum, hæmorrhagia magna ex parte sublata, recursum morbi præcavere queant. Quocirca quidem consilium Celsi audiendum; "satius est anceps auxi, lium experiri, quam nullum."

- A. INTERNE SUMPTIS. Quæ hoc modo assumi possunt, fossilia sunt vel vegetabilias.
- a. Fossilibus. Ex his plurimum adhibentur alumen & acidum vitriolicum. Prius, sub sorma pulveris styptici vel seri, uti vocatur, aluminosi, multum a Whyttio celeberrimo collaudatur. Posterius ex aqua frigida, vel aqua rosarum rubrarum, quam commodissime sumitur.

Præter hæc multa alia hujusce classis medicamenta summo in honore sunt apud Auctores, & contra hæmorrhagias diversas profecisse narrantur; qualia sunt ex chalybe præparata, velut sal Martis, tinct. Mart. Mynsich.; ex plumbo, ut tinctura antiphthisica, quæ hoc in exemplo adhibita sucrit; vitriolum album, bolus armena, lapis hæmatites.

Si hæc in usum revocares, opium cum illis conjungere haud alienum foret. Pulvis Wedelii absorbens, qui hæmorrhagias violentas efficaciter coërcere putatur, ex opio & sale Martis conflatur.

b. VEGETABILIBUS. Ex his præpipua sunt cortex peruvianus, & tinctura rosarum rubrarum. Quod ad priorem attinet, morbo recidivo, ubi a laxitate & debilitate systematis universa originem sibi deduxit, magis occurrit, quam violentiam ejus illati compescit. Si hæmorrhagia statis temporibus invadat, & sebre stipetur, prodesse potest, cæterum necesse est, ut cum cautela corporibus in plenis adhibeatur. Posteriorem, quolibet morbi tempore, tuto dabis.

Cæ-

Cætera hoc genus medicamenta sunt terra japonica, sanguis draconis &c., quæ nihil sere prodesse consuerunt. Alvus, inter astringentia adhibenda, semper aliquo laxante mitiore resoluta servetur.

- B. Externe admotis. Que hoc modo applicari possunt, satis sunt numerosa, parum vero in auxilium morbi prompta; paucula tamen de singulis dicenda.
- a. BALNEO FRIGIDO. Hoc a plerisque repudiatur, quod vasa cutanea constringit, & sanguinem ad interiora determinat; cum vero sanguinem condenset, molemque ejusdem imminuat, nihil ab illo timendum: Immo multorum experientia pediluvium frigidum non raro profuisse testatur.
- b. Liquoribus in vaginam injectis. Hi nonnihil forsitan proderint. Decocta ex cortice peruviano & querno, aqua aluminosa Bateana, vel insuso colcoth. vitriol. sepius adhibita sunt; cum vero frigore solo, quo sint prædita, agant, oportet ut aqua frigida eidem consilio respondeat. Acetum forsitan aut sal ammoniacum aquæ admiscere, cum utrumque haud dubie frigus intendat, haud alienum foret.
 - c. Applicationibus frigidis. Panni, in Acetum & aquam immersi, & lumbis, abdomini & naturalibus admoti, in auxilium profluviorum sunt prompti. Applicationes vero frigidæ & injectiones sepius reiterandæ; ex frigore enim solo virtus illarum universa pendet. Si signa inslammationis adsint, illis abstineamus oportet.

d. Pessarus &c. Hæc, linum convolutum, vel linamenta, in aliquo liquore astringente intincta, in vaginam insinuari consuerunt. Cum vero nobiscum reputamus, nulla pessaria vasa rupta & sanguinem esfundentia contingere posse, & instammationem facillime movere; quidni usum corum ex toto repudiamus? Porro irritatio corum continua hæmorrhagiam potius auget quam imminuit.

III. VIRES ÆGROTÆ SUSTENTARE.

Si hoc rite præstare velimus, haudquaquam ad cardiaca, quod moris nimis multorum est, confugiemus; hæc enim, per vires suas calefacientes & stimulantes, hisce naturæ sapientis consiliis, quibus pro salute muliebri propugnet, obviam eunt. His adhibitis, nec sanguis coire, nec vasa sese contrahere licet ex hoc tantopere pendeat vita ægrotæ possunt. Si profluvium diu & violenter duraverit, quæ vasa vacua replent, qualia sunt, jusculum ex carne vitulina, absque vero sale aut condimento, paratum &c., frigida, sæpius, assumenda. Ad Enemata quoque hujusce generis nutrientia decurrere licet. Quo salutares hujusce curationis effectus rite perspectos habeas, casum pueri hæmorrhagia laborantis in Lowero de corde cap. 22. p. 63. videre est. Cæterum si ad extrema fere jam ventum sit, infusum Cort. Peruv. & Cinnam. ex vino, claret vulgo vocato, adhibendum; præsidium tamen princeps-F 2

ceps a jusculis nutrientibus, ut supra comprehensum, petendum. Si animi deliquia diutius maneant, sæpiusve redeant; tempora aqua frigida fovenda, nares aliquo odore grato, velut sp. rorismarin. vel sp. sal. C. C. stimulandæ, regio ventriculi linimento ex ol. Amyg. Ziss. sp. volat. aromat. Ziij. confecto inungenda, & dein panno laneo curiose tegenda.

IV. FOETUM EXTRA-HERE.

Nullum manuum auxilium, nisi mense quinto elapso, desideratur; nam ante id tempus natura per se omnia agit, & præterea uterus adeo contractus est, ut manum in se recipere non posset, quin tantam vim adhiberes, quanta noxam lethalem, inflammatione movenda, forsan inferret. Quando vero operationem hujuscemodi instituere conveniat; ex impetu profluvii majore vel minore, recursu ejusdem frequenti, viribus ægrotæ, & medicamentis jam incassum tentatis, discere poteris. Medicus igitur sagax, omnibus rebus circumstantibus rite perpensis, occasionem ad manuum auxilium decurrendi justam, in mulieribus diversis diversam, arripiat necesse est. Hoc tantum expertus assirmo, paucissimis profluvio laborantibus, ex fœtu citius educto, compluribus vero, ex operatione serius instituta, noceri.

Quocunque tempore graviditatis profluvia violenta sese ostendunt, nihil ægrotæ optabilius contingere potest,

test, quam ut partus dolores protinus accedant. Dolores si vel debiles, vel nulli omnino sunt, conamina naturæ juvanda. Cum dolores languescunt, aliquo stimulo sunt excitandi. Hoc optime præstat manus in vaginam immissa; quod si non sussiciat, membranæ rumpendæ, uterus enim, humoribus evacuatis, se fortius contrahet, & fœtum forsan expellet. Si dolores nihilominus fœtui expellendo fint impares; manus in vaginam rursus immittenda, fœtus, capite sursum pulso, vertendus, &, pedibus apprehensis, educendus. In hisce vero exemplis, ubi nulli omnino dolores adfunt; partes, manu immissa, leniter dilatandæ, membranæ rumpendæ, liquoribus tamen reservatis, quo sœtus facilius invertatur, & dein, ut prius, educatur. Hoc vero memoria nunquam concedat, fœtum, jam versum, non statim educendum esse, sed spatium temporis idoneum utero, quo sese contrahat, concedendum; quod hisce animi deliquiis, quæ adeo periculosa esse soleant, efsicaciter obviam ibit. Quod ad placentam attinet, vim nullam ad eam extrahendam adhibeas, si enim non facile educere possis, naturæ conaminibus expellendam relinquas.

Si mulier menses suos expleverit, & caput fœtus in pelvem profunde descenderit, & ibi, vel propter suum vel pelvis vitium, hæserit; ad forcipes, &, his nihil proficientibus, ad instrumentum crotchet anglice appellatum, decurramus oportet.

PROPHYLAXIS. De hac paucula adhuc dicenda supersunt; cum vero causas profluviorum universas & morbos plerosque, quibus prægnantes objiciantur,

3 jam

jam plenius executi simus, hanc partem opusculi nostri limitibus angustioribus circumscribendam putavimus.

Quo abortus præcaveatur, duo potissimum sunt attendenda, tensio & laxitas nimia. Cum prior plethoram pro causa principe habeat; huic, victus ratione, exercitatione, scalpello, potiusve usus fonticulorum vel setaceorum, quoniam evacuationem magis constantem edunt, & crebram sanguinis missionem, quæ plethoram potius adaugeat quam imminuat, minus necessariam reddunt, occurrendum est. De cæteris hæc protulisse sufficiat; quod vero sanguinis missionem spectat, pretium foret notare, nunquam iis temporibus, quibus menstrua provenire consueverint, causa profluvium arcendi, concelebrandam esse; utero enim, tunc temporis, præter solitum, sanguine repleto, metus est, ne venæ sectio talem illi contractionem induceret, qualis abortum inferre posset. Quinetiam venas, hoc tempore pertundere, menstrua in desuetudinem abire non patitur; quod mulierem summum in periculum forsan adducet. Sanguinem, circiter duas hebdomadas, ante tempus mensium consuetum, tutissime detrahes.

Si laxitas in culpa sit; ei, evacuationibus tamen idoneis rite prius adhibitis, occurrunt, diæta corroborans, usus vini modicus, exercitatio, balneum frigidum, cortex Peruvianus, Aër frigidus, aquæ chalybeatæ. Hæc remedia protinus a partu eliso optime adhibentur; sic enim esfectus suos, ante proximam graviditatem, plenius edent.

Quæ mulieres, absque causa evidente, abortant, quibusve partus, temporibus statis, eliditur, illis quies in lecto continua, per totum graviditatis decursum, saltemve donec tempus, quo abortum facere solitæ sint, præteriërit, aut fætus indicia vitæ monstraverit, diligenter injungenda.

Prægnans denique ab omni mentis tristitia corporisque dolore, quantum sieri possit, immunis vitam agat, & causas hæmorrhagiæ uterinæ prius enumeratas caute

refugiat.

H. CONVULSIONES.

Morbus nullus prægnantes occupat, in quo tantum medicus, quantum in hoc, partes inertis & ignavi spectatoris agere cogatur; siquidem theoria ejus & curatio exæquo difficiles sunt. Historiam tamen ejus breviusculam tradere, & remedia quibus medentes eundem depellere sæpe frustra, proh dolor! conati sint, leviter percurrere mecum decrevi.

HISTORIA MORBI. Convultiones plerumque antecedunt, pulsus arteriarum celer, lumborum capitisque
dolores, oculorum caligo, nausca, vomitus; nonnunquam repente, nullo signo præeunte, invadunt. Mulieres, præsertim hystericas, quæ uterum non prius
gesserunt, & parturientes magis, quam alias, infe-

stant.

PROGNOSIS. Hæc ab hisce sequentibus est deducenda:

a. A paroxysmi duratione & frequenti ejusdem recursu. Si paroxysmus diutius torqueat, & alter mox

subeat, mors haud dubie appropinquat, ultima linea rerum.

b. A tempore, per quod ægrota, postquam paroxysmus decessit, sensibus orbata manet. Cum paroxysmum status insensilitatis excipit, diutiusque perstat, gravissima præsagire licet.

c. A. statu pulsus. Pulsus arteriarum, si celer, paroxysmo sinito, sit, eventum morbi non parum esse

timendum indicat.

d. Ab ægrota paroxysmis prius assueta, vel penitus insueta. Convulsiones mulieri, quæ uterum non gerens illis nunquam correpta fuerit, sere semper exitio sunt; quæ vero illis jam diu assueverit, ei non periculi multum intentant.

e. A tempore graviditatis, quo invadant. Quo magis graviditate mulier provecta fuerit, nisi mensem nonum propemodum expleyerit, eo plus periculi illi impendet.

f. A præsentibus vel absentibus doloribus. Cum convulsiones a partu oriuntur, nihil fere timendum; quoniam, sætu excluso, plerumque decedunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES. Habitus corporeus mobilis & laxus, magna systematis irritabilitas, labes hæreditaria, viam convulsionibus sternunt.

CAUSE OCCASIONALES. Hæ plerumque investigatu dissiciles. Morbi sedes modo in cerebro, modo in ventriculo uterove, esse videtur. Cum ab assectibus cerebri ortum ducit, idiopathicus est; cum a vitio aliarum partium, symptomaticus.

- 1. IDIOPATHICUS. Hoc in exemplo, morbus ab aliquo cerebri ipsius sensoriive communis affectu morboso, qui nos penitus lateat, proficiscitur.
- 2. SYMPTOMATICUS. Hujus causæ sunt non tantum variæ, sed perquam obscuræ; nec modus, quo agant, tenebris minus involvitur. Quæ vero sequentur, principes sunt:
- a. Plethora Universa vel topica. Posterior ab utero gravido arterias iliacas comprimente, ideoque majorem sanguinis ad caput copiam determinante, pendere potest.
 - b. Inanitio.
 - c. Pathemata animi violenta, præsertim timor.
 - d. Stimulus utero a fœtu illatus.
 - e. Urina, utero gravido cervicem vesicæ prementes, retenta.
 - f. Acria ventriculum & intestina stimulantia & irritantia.

METHODUS MEDENDI.

of the sinds of amornia at the latest

Cum causa hujusce morbi proxima nos omnino sugiat, unum tantum medendi consilium in medium proferre possumus, viz. Causas occasionales removere.

a. PLETHORAM UNIVERSAM VEL TOPICAM.

Missio sanguinis generalis & topica, ususque laxantium potissimum, huic consilio respondent. Cum

G

pul-

TO DISSERTATIO MEDICA.

pulsus est plenus, durus & frequens, sanguis non parce detrahendus; hoc enim si levamen non adferret, ad quod præsidium deinde consugias oportebit, ignoro. Si venæsectio generalis symptomata non leniat, hirudines temporibus admovendæ, arteriæ eorundem pertundendæ, & scarificatio occipitis tentanda, præsertim si plethoram capitis topicam adesse suspicemur.

Quinetiam laxantia multum prosunt, utpote quæ humores a capite derivent. Optima sunt sales medii. Cum ægrota deglutiendi facultatem amisit, enemata ex. his composita adhibenda. Opiata vero, si sopor ægrotam obruat, si caput illi multum afficiatur, si oculi sanguine suffusi promineant, si delirium magnum aut sebris adsit, quam caute desugienda.

Dolor tamen & pervigilium graviter urgentia opium reposcent, sanguine prius detracto & evacuationibus aliis rite adhibitis.

Haustus salini & nitrum, si sebris adsit, sæpe prosiciunt. Sit cibus, in aliquantulum temporis post paroxysmum, quo morbo recidivo occurrere possis, levis & parcus. Consilio eidem sonticuli vel setacea
respondent.

b. INANITIONEM. Hoc in exemplo majus, quam priore, periculum oritur, nam vasa deplere, quam replere, multo facilius. Præsidium optimum præsstant sluida nutrientia, sicut juscula modice & sæpe data, vel enemata ex iisdem in alvum frequenter im-

missa. Cardiaca cum opio, &, ubi symptomata magnæ debilitatis se manisestant, stimulantia, qualia e-pispastica, sinapismi, frictiones, &c, magnopere proficiunt.

- vulsionibus ab hoc fonte oriundis optime occurrunt, sanguinis missio, usus opii liberalis, balneum calidum, &, ubi non est, sotus extremis admotus, quippe quæ virtute antispasmodica notabili polleant. Æthera & moschum auctores nonnulli laudarunt; prior levamen breviusculum adsert, posterior, si genuinus & ab omni vitio vacuus parari posset, effectus, prout opinor, selicissimos ederet, doss satis magna datus. Epispastica, si coma jam accesserit, morbum aliquando levare consuerunt. Omnibus in casibus, ubi antispasmodica indicantur, & ægrota devorare nequit, ad enemata ex sluidis nutrientibus parata consugiendum.
- d. STIMULUM UTERO AFOETU ILLATUM. Hunc anodyna plerumque tollunt. Quo bonos suos effectus certius edant, copiose sumenda.

Extractio fœtus sæpe solum remedium. Hanc autem nunquam aggrediendam, nisi convulsiones ex doloribus pendeant, meminerimus; igitur si accesserint dolores & os uteri sit dilatatum, fœtus, uti supramonuimus, absque mora, in casibus hujuscemodi semper periculosa, vertendus ac educendus.

- e. URINAM RETENTAM. Quænam remedia huic malo sint accommodissima, ea jam dicta.
 - f. ACRIA VENTRICULUM ET INTESTINA STI-

ortum ducentes emetica & laxantia potissimum requirevidentur. Cæterum plerisque in casibus venæsetio usum emeticorum, ne nimia ad caput determinatio siat, antecedere debet. Cum emetica vel laxantia data essectus suos ad plenum ediderint, anodynum præscribere conveniet.

Si vermes in canali alimentario delitescere suspicerio, Anthelmintica sunt adhibenda.

Si convulsiones a nullis ex causis supra comprehensis proficiscuntur, & est, cur ab affectu cerebri morbido oriri putemus, ad tonica, velut corticem Peruvianum, Valerianam Sylv., & forsitan slores Zinci,
quos Gaubius jure summo celeberrimus in morbos convulsivos multum posse nuper compertus sit, consugere licet.

Hæc de morbis gravidarum, & remediis ad eosdem depellendos accommodatissimis enarrasse sufficiat.

,, Si quid novisti rectius istis,
,, Candidus imperti, si non, his utere mecum. "
Hor. —

Prius necesse est, quam hancce dissertationem ad sinem perducam, ut multis Edinensium, qui in me studio medicinæ operam navantem benesicia quam plurima, per quadriennium totum superius, conferenda benigni curarint, grates sincere persolvam. In his est, senex ille venerabilis, Dr. Rutherford olim medicinæ in Academia Edinensi Prosessor illustrissimus, cujus

amicitia in me meosque semper talis suerit, qualis e memoria mihi nunquam excidere queat. Gratiæ quoque reliquis ejusdem Academiæ professoribus, in primis Dr. Young artis obstetriciæ Professori, cujus prælectionibus publicis consiliisque privatis tot & tanta debeam, necnon Culleno, Monroso & Black viris Doctissimis, habendæ. Absit, ut silentio præteream Gregorium laude summa dignissimum. Quæcunque virum bonum doctumve constituunt, iis ornatus, o unibus carus acceptusque vixit, & sato, proh dolor! immaturo & acerbo præreptus desiderium sui maximum apud omnes reliquit.

Denique non mihi congratulari non possum, quod, vobis, Professores Lugduno - batavi, omnibus doctrinæ laudibus meritissimo florentes, annuentibus, in eadem Academia Celeberrima in qua olim Pater mihi carissimus, Boerhaavii immortalis Alumnus, arte Hippocratica sit imbutus, quam possea tanta cum laude sua & salute aliorum exercuerit, ipse quoque ad summos medicinæ honores sim evectus.

FINIS.

THESES.

I

In hæmorrhagiis uterinis gravidis occurrentibus, venæ sectione rarissime uti debeamus, nisi certiores sacti sumus a Plethora vel spasmo ortum ducunt.

I 1.

In omnibus gravidarum profluviis, abfenti Diathesi Phlogistica, opium optimo cum fructu adhibetur.

III.

Emeticorum usus, a multis auctoribus in gestationis decursu culpatur, tamen ubi nulla symptomata, præsentiam Plethoræ indicantia, adsunt, illis tuto & cum sructu uti possumus.

IV.

Sub quibuslibet graviditatis stadiis, quando venæ sectio indicatur, tuto præscribi potest.